DE MORBIS ALIQUOT, QUI, QUUM UNIVERSALES SINT, FALSO LOCALES NOMINANTUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

THEODORUS HELLINGER
RHENANUS.

Opponentibus:

A. DISSE, med. et chir. Dr.
J. GIEFFERS, med. et chir. Dr.
GUIL. GREVEL, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

C. ALEX. FERD. KLUGE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA REGIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, PROFESSORI PUBLICO EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS REI MEDICAE INTIMIS, NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS, QUOD EIUS AUSPICIIS FLORET, DIRECTORI, COLLEGII SUPREMI EXAMINIBUS MEDICIS HABENDIS CONSTITUTI SOCIO, ORDINIS AB AQUILA RUBRA IN CLASSE TERTIA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI AC FAUTORI DILECTISSIMO, HUMANISSIMO

NEC NON

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO

J. G. HELLINGER,

REI FAMILIARI PRINCIPIS PRAEFECTO,

HOCCE

STUDIORUM TIROCINIUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Amplum est et nobile officium medici, saluti corporum generis humani consulere et succurrere, sed difficile etiam et operosum et summa diligentia ac studio dignum. Quod enim quum non minus ad corporis animique sanitatem, quam ad eorum morbos pertineat, medici est, ut ad vitam humanam quam longissime perducendam, illam, quantum fieri potest, tueatur et confirmet, hos prohibeat futuros, praesentes depellat vel certe mitiget sublevetque. Cui quidem gravi officio ut satisfacere possit, oportet medicus tum vitae sanae, tum morbosae accuratissimam habeat cognitionem, nec non sciat, quae et quales sint tam secundae, quam adversae valetudinis causae et formae et quibus auxiliis rationibusque natura morbosa ad pristinam restitui et reduci possit integritatem. Quae cum ita sint, per se patet, fieri non posse, quin scientia pathologiae et phy-

siologiae medico summi sit momenti: hac enim docemur, qualis sit vita vivi organismi humani normalis, illa nobis dux est et magistra ad ea, quae naturam corporis et animi male affectam et aegram indicant, cognoscenda et ad viam ac rationem inveniendam et parandam, qua, causis adversae valetudinis sublatis, homo aegrotus ad pristinum sanitatis statum reducatur. At non solum pathologiae et physiologiae medicus, naturae minister, operam det oportet, sed etiam omnia ea sciat, quae in universum corpori et animo humano aut prosint aut noceant, ut remotis iis et repulsis, quae naturae infesta et perniciosa esse solent, ea tantum adhibeat et admittat, quae ei apta et utilia esse cognovit.

Qua de re ea disciplina minime est negligenda, quae, medicina in tres partes divisa, apud veteres quosdam, qui in victu solam ponebant salutem, primum obtinuit locum. Διαιτητική enim, quam Graeci nominarunt, omnia ea respiciens, quae ad victum pertinent, hominesque aut bene aut male afficiunt, plurimum valet non solum ad vitam servandam, sed etiam ad eam jucundiorem et splendidiorem reddendam. Inprimis autem διαιτητική in morbis curandis est respicienda

et adhibenda, quo melius medicamenta valeant et vim suam exerceant. Eodem modo non raro ad eam confugiendum est in morbis insanabilibus, qui quum neque arte tolli possint, et medicina etiam saepe saeviores et periculosiores existant, adhibitis diaeteticae regulis et praeceptis, quibus omnes res morbum augentes removentur et depelluntur, tam continentur, et debilitantur, ut nec vita nimis in periculo sit et homo aegrotus eos sine magnis doloribus et incommodis tolerare possit. In quo morborum genere plures numerantur, qui certis locis inhaerere putantur et a medicis locales morbi sunt nominati. Sed ut interdum fit, ut vel doctissimi homines fallantur, sic etiam in pluribus morbis dijudicandis, quos locales habere et appellare non dubitarunt, medici quidam errasse mihi videntur. Quodsi enim diligentius in illorum morborum rationem ac naturam inquisiveris et corporis indolem et compositionem respexeris, porro si diligentius observaveris, qua corporis parte et quo modo nascantur, qui motus, quaeque perturbationes iis erumpentibus accidant in aegroto, ex quibus et internis et externis causis gignantur, quibus denique, ut multa alia omittam, me-

dicamentis et auxiliis aut imminuantur, aut crescant, et latius serpant; tum profecto invenies, eos temere et sine ulla justa causa locales habitos esse, quibus totum potius corpus affectum est quibusque obnoxium. Quantum autem intersit, ut morbus recte cognoscatur, non est, quod dicam, quum luce clarius sit, medicamentis non apte datis corpori saepius maximum detrimentum oriatur necesse esse, qua propter jam hic id tantum praemonuerim, in ipsis omnibus, qui locales esse videntur, morbis curandis summam cautionem esse adhibendam. — Quod pathologiam et therapiam attinet, locales illi morbi dignissimi sunt, qui accuratius observentur, quum saepe sine magno vitae periculo magnisque incommodis, non dicam totos annos, sed per totam vitam perferri possint, modo ne eos medicamentis, ferro aliisve non idoneis modis irrites et reprimere experiaris, sed talem victum et vivendi genus instituas, ut omnia removeantur, quae sanitati perniciosa et noxia morbum augent, ea tantum adducantur, quae vitam conservandam adjuvant. —

Jam igitur quum aliquot sint morbi locales, qui sine certissima morte serius ocius accele-

randa tolli nequeunt, juvat de iis accuratius agere et inquirere, num ipsis nomen morbis localibus jure tribuendum sit nec ne. Simul quae de hujus generis morbis proferemus, nonnullis documentis, quae experientia docuit, probare et confirmare studebimus. Sed prius quam ad rem ipsam accedimus, liceat paucis exponere, qui sint morbi universales, quique locales, ne forte in iis describendis in aliquem errorem inducti esse videamur.

Morbos locales eos nominamus, quibus, ceteris integris, una tantum pars corporis afficitur; qui contra sint morbi universales, paucis est difficilius definire, in universum autem ii dicendi esse videntur, qui vel multas corporis humani partes afficiunt, vel systema, quo verbo uti mihi liceat, in toto corpore obvium, vel denique partem ad totum corpus conservandum tam valentem, ut ea affecta et corporis et animi functiones, quas appellant, perturbentur et impediantur. —

Jam igitur his praemissis, ut rem ipsam aggrediamur, haud alienum esse videtur, primum de scirrho accuratius agere.

§. 1.

SCIRRHUS.

Vulgo quidem morbis localibus adnumeratur, sed multum abest, ut eo tantum loco permaneat, quo erupit, et id solum corrumpat, quod occupavit, ut etiam ulterius serpat eique totum corpus obnoxium fiat, ita ut in aperto sit, eum non tam partium quarundam, sed totius corporis mala et vitiosa indole et affectione nasci.

Hinc etiam nihil proficit, malum manu et ferro sustulisse, nam nisi una cum eo internae ejus causae et quasi radices amoventur, plerumque fieri solet, ut serius ocius alio corporis loco erumpat tamque saevum et perniciosum evadat, ut non solum omnes hominis aegroti vires degraventur et corrumpantur, sed ipsa mors tristissima et foedissima acceleretur et adducatur. Causae quoque, quae plerumque origini scirrhi favent ortumque augent, amplificant et usque ad summum fastigium, quo teterius et terribilius vix quidquam conspici potest, perducunt, ejusmodi esse solent, ut non modo in certas partes, sed in totius corporis naturam et temperationem vim habeant. In quibus ante omnes alias ponenda

est diathesis scirrhosa, sive ea jam a parentibus liberis ingenerata natura et constitutio, qua corpus morbo illi aliquando procreando aptum fiat et propensum. Praeterea permultae aliae exstant scirrhi causae et parentes et nutrices, quae omnes ad vegetationem pertinent et ejusmodi sunt, ut dyscrasiam sanguinis efficiant, ex quibus sufficiat nominasse usum exigui et corrupti cibi et potus, aërem humidum vaporibusque depravatum, nimios corporis et animi labores, vigilias, copiosa potulenta fervida, crebras libidines, intemperantiam, aegritudinem, maerorem, omnesque reliquos animum ac mentem deprimentes motus et affectus. Porro ad nostram sententiam confirmandam licet animadvertere, ubi scirrhus, vel induratio tumorque scirrhosus vere sanati sint, id iis mediis et medicamentis factum esse, quae non ad unam alteramve partem corporis humani, sed ad totam naturam aegroti vim exercent, succos corruptos meliores reddunt, dyscrasiam amovent et omnino corpus melius nutriendo confirmant. — Scirrho quum cancer sit simillimus, vix est quod addamus, nam omnia, quae usque adhuc diximus, eodem modo et majori etiam de cancro valent. —

§. 2.

FUNGUS ET OSTEOSARCOMA,

ad quos nunc progredimur, qui et ipsi a multis falso in numero morborum localium habiti sunt, a scirrho et cancro in universum non ita multum differunt, quare hoc tantum animadvertendum est, hos inprimis apud homines maturae et provectioris aetatis reperiri, illos autem ne pueritiae quidem parcere. Nam quod alias formas ac figuras exhibent, non tam ex natura morbo propria, quam ex diversa structura, compositione et indole partium, quas inprimis infestare solent, explicandum est.

§. 3.

ULCERA

rarissime tantum locales esse morbos, et in medicinae potius, quam chirurgiae campum cadere, eorumque curationem, prout ea ex causis ad totius corporis naturam et indolem pertinentibus originem duxerint, experientia jam satis docuit. —

Jam vero quum ad ulcus fistulosum transeamus, fieri non potest, quin in hoc ulcerum genere descri-

bendo paululum longius commoremur, utpote quae saepissime cum morbis internis cohaerent, eosque tamquam vicaria avertunt et dimovent, licet inter se ne minimam quidem habeant similitudinem. Vix enim credibile est, ani fistulas cohaerere cum morbis pectoralibus, tamenque non raro evenit, ut vel sanissimi et validissimi homines, qui antea ne tanti quidem ex pectore laborare visi sunt, subito, sublata et depressa vel levi fistula, tabe inficerentur et haemoptysi occumberent, dum alii, de quibus jam dudum desperatum erat, ab imbecillitate pectoris liberati sunt, simulac ani fistula prodiit. Igitur ani fistula rarissime tantum malum sincere locale habenda est, sed saepissime a natura optima creata esse videtur ad morbum a partibus corporis praestantioribus et subtilioribus repellendum, ita ut sine maximis perturbationibus vitaeque periculis auferri nequeat.

Multa, quae de fistula ani valent, etiam ad fistulam lacrymalem pertinent, quae et ipsa saepe morbo universali excitatur, modo μεταστατικόν quod Graeci dicunt, modo vicarium malum partis nobilioris et ab oculis remotae. Quare maxime cavendum est, ne ea subito et incaute exsiccetur et curetur, quum experientia sexcenties pro-

baverit, inde multo periculosiora mala, praecipue amaurosin solere existere.

§. 4.

HERPES.

Crebrius etiam quam fistulae herpes morbi, qui eo deflectitur et derivatur, interni est reflexus, et raro tantum, sive mera est impetigo sive ulcus, malum locale est existimandus. Quando herpeti vel aptissimis medicamentis internis sine ullis remediis externis et localibus medemur, saepe tota hominis natura et vita periclitatur, quum eo repulso non raro febris hectica, hydrothorax, coecitas, surditas, epilepsia, apoplexia aliique morbi existant, qui contra cedunt, ubi herpes rursus apparuit. —

Multo magis quam de quibus ad id egimus, ii de quibus nunc videbimus, morbi locales habentur et arti chirurgicae soli subjici solent, quamquam plerumque minime sunt locales, sed aeque ac illi reflexus et vicarii malorum, quibus totum corpus imbutum est, sunt existimandi et curandi.

§. 5.

PTERYGIUM.

Hic morbus est parasitus, qui conjunctivam oculi bulbi sedem habet. Est autem non tam degenerata conjunctiva quam neoplasma organicum ex illa procreatum, quod quasi suam habet animam, naturam et rationem, cum conjunctiva autem, unde nutrimentum sumit, exiguo quodam vinculo cohaeret. Cui malo ii inprimis obnoxii sunt, qui ex alvo laborant et haemorrhoidibus male se habentibus cruciantur, quare tales homines inprimis caveant, ne oculorum inflammationibus chronico-catarrhalibus afficiantur, quae pterygio secundae sunt et favent. — Manu pterygium delere, nisi una alvum, tamquam sedem morbi respexeris et curaveris, valde est periculosum, quum redeunte malo facile fieri possit, ut in malo externis remediis curando cornea obscuretur.

§. 6.

PANNUS.

Sed multo minus quam pterygium pannus, ad quem nunc venimus, medicamentis tantum localibus adhibitis certo ac tute curari potest.

Nascitur autem pannus plerumque ex hypertrophia vasorum conjunctivae, scleroticae et corneae; raro ex hypertrophia telae cellulosae, et eo praecipue ab pterygio differt, quod parasitus est earum tunicarum, quas modo nominavimus. Hic quoque morbus eos potissimum vexat, qui ex alvo laborant, et quum, Rustio auctore, ex dyscrasia impetiginosa, syphilitica, et praecipue scrophulosa originem ducere existimetur, unde chronicae conjunctivae inflammationes oriri solent, quae pannum et creant et augent, in medendo ante omnia dyscrasiam respiciamus oportet.

§. 7.

LUPIAE ET LIPOMATA.

Postquam per longum tempus tumorem cysticum et lupiam morbum mere localem esse credebant, recentioribus demum temporibus non ita esse apparuit. Neque tamen desunt medici, qui vel hoc tempore aut ut sibi constare videantur, aut quod rem vere cognoscere nequeunt, tuber illud parasiticum esse opinentur, quod, si corpori mederi velis integramque restituere sanitatem, non possis non delere. Cui opinioni et experientia repugnat et arcta, quae intercedit in-

ter tumorem cysticum, lupiam totumque corporis organismum, connectio. Quantopere intersit, ut illi parcatur, facillime demonstrari potest.

Nam operatione facta saepe fit, ut, vel quum pus plurimum effluit,

1) multa nascantur ecphymata in marginibus vulnerum, exanthemata distincte definita, erysipelati similia; nonnunquam locis diversis magisque inter se distantibus tumores phlegmatiae albae dolenti similes. Homines aegroti, qui quam maxime videntur robusti ac sani, breviore vel longiore post operationem tempore in dies languescunt atque plerumque paulo post, nulla medendi ope relicta, morte auferuntur. Quin Rustius affirmat, se semel tantum aegrotum hac ratione tractatum, decocto Zittmanni adhibito, potuisse servare, reliquos omnes, quamquam omnibus auxiliis usos, mortem non effugisse. Quod qui fieri posset, si tumor cysticus et lupia nihil essent nisi morbus mere localis atque parasiticus? An tota chirurgia simile quid monstrare potest, tam parvi momenti operationem in morbo mere locali adhibitam sequi casus tam periculosos?

2) Quod alterum est, quum omnia genera

molestiarum et dolorum, si modo natura ullo loco tumorem cysticum et lupiam procreat, statim videamus evanescere, quis est, quin intelligat naturam diserte nobis demonstrantem, tumores cysticos et lupias esse non conservandos?

3) Raro fit, ut unus tantum nascatur tumor cysticus, et una lupia plerumque plures in diversis corporis partibus apparent. Sic Rustius in viro quodam illustri ducenta vel trecenta atheromata partim minora (magnitudine nuci avellanae paria) partim majora (ut pugnus virilis) per totam corporis superficiem dispersa vidit. Quae res argumento est, non causa mere locali, non insultatione, non ictu vel percussione, non impressione vel vestium tritu effici ac commoveri illos tumores.

4) Tumores cystici et lupiae hominibus natu majoribus sunt proprii; raro in infantibus juvenibusve, saepissime in mulieribus inveniuntur. Annis climactericis processus formationis abnormis quidem, sed necessarius ad formandam humanam naturam nihil habet miri. Hoc tempore pseudovegetationes partim iterum oriuntur, ut scirrhus, cancer, steatoma, sarcoma, partim uberius evolvuntur, majorisque fiunt momenti atque ma-

gis periculosi ut naevi materni et verucae. Tumores cystici et lupiae maxime hac aetate apparent frequentes in hominibus rheumaticis, arthriticis, syphiliticis, scrophulosis, raro vi externa illata nascuntur. Quod ni esset, qui fieret, ut saepius senectute occurrant quam annis puerilibus juvenilibusque, quo tempore saepius in pericula irruimus?

Ex his, quae disputavimus, satis apparet, tumores cysticos et lupias rarissime tantum mere locales esse. Plerumque, ut brevitatis causa hoc verbo utar, reflexus sunt morbi interni ex universo organismo profecti, nobis vero prorsus ignoti; sunt symptomata alius morbi, qui majoris est momenti. Num vero ratione et via ageremus, qui neglecto morbo primario symptomatis tantum mederi vellemus?

Conditio ac status organismi nobis fere ignotus talis est, ut opus sit secretione quarundam materiarum. Quae, quatenus natura aegroti postulat, diversis locis morbo magis expositis modo lupiarum, modo lipomatum forma secrescunt. Cui secretioni eam supponi, quae fit fonticulis, setaceis, id docuit experientia, non sufficere ad conservandum organismum integrum, quum hac ra-

tione non eae materiae et vires, quae oeconomiam animalem disturbant, deducantur, id quod solis fieri potest tumoribus cysticis et lupiis. Accedit, quod usus docet, diversas, quae diversis locis corporis tumoribus ejiciuntur, materias non eandem habere vim ad conservandam hominis naturam. Sic lupiis multo saepius ad conservandam integritatem opus est quam lipomatibus, quà de re etiam illis remotis totum corpus multo facilius in periculum incidit. Quod locum attinet, tumores cystici, qui in tergo sunt et cervice, magis nocent, quam qui reliquis corporis partibus inveniuntur. Hoc certe non foret, si nil nisi malis localibus orta esset excrescentia simplex. —

§. 8.

HYDROCELE.

Hydrocele, quae plerumque non est localis, tamen saepe ita esse creditur. Quae tum tantum, quum in infantibus invenitur, diffundi potest, aetate magis provecta non potest, sed operatio est adhibenda. Qua in re id studemus, ut aut aeque secretionem prorsus impediamus et quasi radices mali evellamus, aut ut incom-

modis tantum, quae ex magnitudine tuberis oriuntur, occurramus aquamque modo derivemus (cura palliativa). Prius efficitur multis secandi rationibus, quibus id paramus, ut tunica vaginalis cum testiculis concrescat, atque ita destruatur cavum, quod aquam continet. Hoc modo locus tantum aquae confluenti obstruitur, non causa tollitur, quo, nisi damnum in ipsis testibus vel ejus tunica vaginali residet, aqua, ut aliam sibi quaerat viam, cogitur. Innumera quidem sunt genera morborum manu plane curandorum, sed saepissime nil efficitur, non quod curandi methodus a morbi genere aliena adhibita est, sed natura viam, quam ipsa curationibus aperuit, sibi vi obstrui non patitur. Quare saepe fit, ut ipsa natura, curata hydrocele, novum in altera scroti parte secretionibus paret locum. Quod si perficere non potest, ex hoc curandi genere frequentes nascuntur tumores oedematosi in omnibus corporis partibus, febres et acerrimi dolores arthritici, quin etiam nonnunquam tabes vera et perfecta, quae serius ocius mortem adducat, existit. Testimonio nobis sit mors Cl. Zangii, Vindobonnensis professoris. Qui quum in scriptis suis id potissimum affirmaret, operationem

tantum in morbo mere locali aliquid prodesse, eam in tractanda hydrocele noluit admittere. Aetate magis provecta ipse hoc malo laborans, quum ceteroquin corpore gauderet valido ac robusto, morbum cura palliativa non imminui existimans radicitus exstirpari voluit, ita ut nihil eum moverent amicorum preces et monita, ut ab hoc periculoso consilio desisteret. Itaque secatus ab hydrocele quidem est liberatus, at brevi post orta est tabes, febris hectica, dolores arthritici per corpus migrantes, tumores erysipelatosi modo hujus, modo illius corporis partis, secretio metastica in membris inferioribus, quae telam cellulosam prorsus destruerent et tumores corrumperent, quo factum est, ut paucis mensibus post diem supremum obiret. —

Praeterea vero etiam operationem saepissime sequitur hydrothorax, cujus antea nulla exstitere vestigia. —

Si hydrocele aetate provectiore paullatim orta est sine ulla causa locali et aegrotus antea rheumatismis doloribusque arthriticis aliisve laboravit, vel, ex quo hydrocele incepit, valetudo melior facta est, maxime periclitatur, si quis hujus generis hydrocelae radicitus manu mederi

velit, quam ob rem praestat, cura palliativa contentum esse, qua molestiae auferuntur, locus vero secretionis non destruitur.

§. 9.

DE VERUCIS ET NAEVIS MATERNIS.

Verucae quum non tantum sparsae, sed etiam gregatim ex corporis superficie proveniant, conjicere licet, eas in universum non tam unam solum modo cutis partem pseudovegetatione vigentem matrem habere, quam aliarum excrescentiarum instar, ut condylomatum syphiliticorum, ex dyscrasia adhuc ignota quidem, sed ad totum corpus pertinente originem ducere; quod quidem inde quoque probabile fit, eas interdum sine ullis remediis sponte exarescere, interdum vero tam pertinaciter residere, ut nec medicamentis, nec manu tolli queant. — Nam raro fit, ut ex verucis caustice curatis ulcera malignissima nascantur: quin vi sublatae erysipelaticorum exanthematum, blennorrhoearum cujusque generis et rheumatalgiarum auctores perhibentur. —

Naevi materni, quos multo probabilius ex mero cutis vitio natos credideris, secretioni ano-

malae nonnunquam inservire videntur, cujus rei testimonio sit, quae Rustius de se ipso narrat. Qui enim vir maxime spectabilis cum naevo in sinistro capitis tempore natus fuit, forma et magnitudine frago simili ac paullulum tantum supra cutem prominente, cujus, quum nihil molestiae afferret, per quinquaginta annos septem nullum habebat respectum, donec abhinc paucos annos paullatim supra cutem surgens et ad ampliorem ambitum accrescens tam crebrum et vehementem pruritum moveret, ut vir noster facere non posset, quin accuratius eum perquireret et observaret. Jam quum putaret, excrescentiam illam pileo pressam adaugeri et ingravescere, tegmentum capitis mutavit, at nihilo minus ad id crevit, ut post menses quatuor magnitudinem juglandis aequipararet, et perpetuo pungentem, excrescentiam perstringentem dolorem excitaret. Huc accedebat inflammatio faciei dimidiae erysipelatosa, intumescentia parotidum, acris hemicrania, surditas, febris vehemens. Crebris hirudinibus admissis et salibus purgantibus datis vehementes quidem motus febriles et nimii naevi materni sensus leniebantur, at barycoia, quae fere cophosin attingebat, remansit, tantumque

abfuit, ut excrescentia, quae tetri, lividi, subfusci erat coloris, decresceret, ut etiam non sine ardente et interdum pungente dolore caperet incrementum. Pluribus amicis, ut excrescentiam manu curari pateretur, suadentibus, ne forte malum cancri naturam indueret, Rustius assentire non poterat, quum ei dubium non esset, quin natura eo uteretur ad processus pathologicos efficiendos, quos removendo medio ad id instituto interrumpere impunite licitum non esset. Quam ob rem adhibuit decoctum Zittmanni. Quo quamquam ob multas occupationes et negotia per quatuordecim tantum dies usus est, tamen res mire successit, nam excrescentia non solum inter exiguum dierum spatium ad dimidium extenuata est, sed dolores etiam, qui antea statis temporibus, instar electricarum concussionum eruperant et vel ipsam calvariam percusserant, plane consederunt, ii autem, qui locum continuo usserant, magnopere sunt imminuti, et quod inprimis animadvertendum est, aurium quoque difficultas abiit. Ipsis temporibus posterioribus cura bene valuit, ut sex hebdomadibus post excrescentia usu aquae facticiae Carolinarum thermarum et deinde balneis Teplitianis in dies minueretur.

Denique excrescentia magis magisque corrugata marsupii vacui et plani formam exhibuit, quod in extremo limbo dentatum extenuatur. Quod tuber laciniosum, cristae galli non dissimile, postea in plures partes divisum est, quae a summo cacumine radicem versus paulatim emoriebantur et prorsus destruebantur, ita ut post quatuor menses excrescentia sine ullis remediis localibus plane evanesceret ac nil nisi naevus ille maternus primarius remaneret. An ligando aut manu medendo eventus melior fuisset, est quod dubitem, id vero sine dubio magis timendum erat, ne surditas resideret et excrescentia vi sublata secretiones metastaticas efficeret.

Cum discrimen morbos locales inter et morbos universales toti medicinae maximi sit momenti, nos commovit, ut rem ipsam accuratiori subjiceremus considerationi, quod enim aegroto maximo detrimento est, saepissime morbi sic dicti locales medicamentis externis scilicet operatione e medio tolluntur, qui nullo modo auferri debebant. Iis, quae a nobis dicta sunt, probare conati sumus, sub quibus conditionibus morbi sic dicti locales nequaquam qua tales intelligendi, considerandi, curandique sint et ex

infimo pectore optamus, ut haece conditiones rationesque ad totius generis humani societatis salutem, nominatim eorum ex istis morbis laborantium, ab unoquoque medico curante perbene respiciantur, ne ipsos certae morti adducat, quos servare integrosque reddere velit. In hisce casibus sententia illa in aeternum vera maximi momenti est, e duobus malis esse mitius eligendum. Praeterea ex intimo pectore speramus, fore ut haecce disputatio nostra, quam prò virium imbecillium modulo conscripsimus, id afferat emolumenti, ut et morbi locales et universales probe cognoscantur. Quae morborum tum localium tum universalium cognitio eo tendat necesse est, ut medicus perbene intelligat, sub qua conditione morbus manu e medio tollendus sit, vel remediis in totum organismum vim suam exserentibus, vel medicamentis malum migantibus et vitam quam longissime reddentibus uti debeamus. Haecce disputatio nostra illud et scientiae et saluti generis humani afferat emolumentum, ex animo optamus, semperque optabimus.

THESES.

1. Foetum post partum vixisse, certis signis vel expe rimentis probari nequit.
2. Funiculi umbilicalis prolapsus per se non indica versionem.
3. Haemorrhagiae inter partum exortae praecipue re mediis externis sunt sedandae.
4. Contagium syphiliticum et blennorrhoicum unum idem que est.
5. Scirrhus mammae amputationem non indicat.